

Lannguth :
De ostentatione iurid.
ca.

1857.



180

EXERCITATIO
DE
OSTENTATIONE IVRIDICA
VIRIS
PRAENOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMIS
AMPLISSLIMIS

**DN. M. QVIRINO GOTTFRIED
SCHACHERO**

NEC NON

**DN. M. GOTTFRIED LEONARD
BAVDISIO**

SVMMOS IN IVRE HONORES LIPSIAE
CAPESENTIBVS

CVM PIO ET SANCTO VOTO
OBLATA

Hoc 6229
IOANNE LVDOVICO LANGGVTH
IVR. VTR. DOCT.

D. IX. MAII M DCCXXXVII.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

EXERCITATIO
DE
OSTENTATIONE VARIDICA
VIRIS
PRAEENOBUTISSIMIS CONSALITISSIMIS
AMPLISSIMIS
DN. W. VARIUS GOTTFRIED
SCHACHERO

NEO NOV

DN. W. GOTTFRIED LEONARD

BAPTISTIO

SAMMOS IN VIRE HOCRES IPSIVE
COPPIERINTAS

CVM PISILO SAMIO VOTO



JOVINE LADAOICO FVNGGATH

JAR. ATR. DOCT.

DE IXI MVL A DCCXXVII

LIPSIAE
EX OFFICINA FANGENHEIMIANA



In genuo ostentationis suspicionem vitandam esse, dignum graui CICERONE 1) monitum habendum est. Cuius rationem idem alibi 2) indicat, simulatione, aiens, et inani ostentatione, et facto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse, si qui ventur, vehementer errant. Itaque, quum mentem summi Oratoris perspectam cupiam, equidem, ipsi hoc loco *ingenuum*, artium liberalium ingenuarumque studiosum dici, arbitrarer. Testem excito doctissimum BVDAEVM, 3) ex antiquitate inueterata eruentem; bonarum artium in quauis facultate studia, ideo forsan splendido liberalium et ingenuorum nomine insignita fuisse, quod magis honestioribus et ingenuis essent propria. Sed ad ostentationem quod attinet, nulla mihi visa est de-

A 2 scri-

1) II. de Orat. Cap. 81.

2) II. Offic. Cap. 13.

3) in Not. ad I. I. de extr. cognit.

VI. T. 45. Cap. 6.

VII. T. 45. Cap. 3.

VIII. T. 45. Cap. 1.

scriptio rei accommodior, quam haec CALVINI 4)
*Otentare est, affingere sibi maiora, quam quae re
 ipsa sint, quam ingenium ferat, aut facultates, aut
 falsa omnino de se praedicare, aliaque; quam sint ea
 p̄aeclara admodum, magisque ac magis narratu,
 atque honoratu digna.* Accedit ad haec iterum
 TULLII disertissimi 5) sententia; *iactatio est voluptas
 gestiens et se efferens insolentius.*

Nunc si quis quaerat, quo meditatio haec pertinet, ad *ostentationem iuridicam*, responsum ferat. Nam, ubi haud ita pridem in QUINTILIANI Institutionum oratoriarum libros aureos inciderem, ibique, *iactationem eruditioris*, non solum nominatam, 6) sed etiam ad viuum resectam 7) deprehenderem, pri-
 mum, hec ipsum CICEROLEM, quem modo, imo plau-
 ne paulo ante, venditationis hostem acerrimum vidi-
 mus, labeculae illius reum postulari, miratus sum, de-
 inde, ne idem accidat aliis aetatis nostrae scientiarum
 Coryphaeis, extimui. Tum demum vehere in ma-
 nus, celeberrimi IOANNIS BURCHARDI MENCKENII
 Orationes de *Charlataneria Eruditorum*, 8) in quibus,
 omnem lvniversae literaturae histriionam circumfor-
 amque vanitatem tierso et perarguto dicendi genere
 leniensam conspicies. Nec potuit inde sibi temperare scri-
 ptor 9) in Lexico Iurid. voce ostentare.

5) IV. Tusc. Cap. 9.

6) Lib. I. Cap. 5.

7) Lib. XI. Cap. 1.

8) Lipsiae 1734. cura illustr. filii, Frider. Otton. Menckenii, proditae.

2) II. de Offic. Cap. 8.

2) II. Offic. Cap. 13.

2) II. Offic. Cap. 13.

pror amiochissimus, quo minus aduersus Iure Consultos
calatum stringeret, 9) istisque inuidissimis iuris in or-
be Manarchis, 10) ambitiosorem elationem sui parcus
licet atque mollius exprobraret. At multo fuisse et inci-
tationi stylo, nonnullis abhinc annis, rem exsecutus est,
incomparabilis doctrinae Italus, JOSEPHVS AVRELIVS
de JANVARIO. II) Sane utriusque viri insignis au-
toritas ita comparata est, ut mihi met ipsi Suffenus vi-
dear, qui in consilium filium, quo abruperunt, contexen-
di, in iii. Nihilo tamen secius certum mihi est et con-
stitutum, affulgente auspicio die, quo oculissimos duos
familiares ritu solemni Doctores Iuris euctos laetor,
de ostentatione iuridica agere, non, ut ex pertractione
materiae dudum false elaborateque peroratae laureo-
lum quaererem, sed ut haberem, quod gratulationem
meam antecederet argumentum.

A 3 Osten-

- 9) Orat. II, de Charlat. Erudit, p. m. 254. seqq.
 10) Ita Bartolus a IASONE ad I. quidem ff. de V. S. dictus
est. conf. Act. Erudit, anno 1702. p. 84.
 11) in Republica Iuris Consultorum, cuius sincerum elogium in
epistola ad Auditorem Editioni Lipsiensi praefixa, habet: Quam
sis ingenio polito, et ad urbanitatem omnem composito, ipse
testatur aureus libellus tuus, in quo cum velut pro rostris con-
stitutus iudex omnium seculorum terrarumque Iure Consultos
vocaueris in Ius Tuum, et de his libere dixeris senten-
tiā, perquam honorifice a te dimisso Germanos nostros,
aut si quos ex his venia vix dignos iudicateras, hos molli
fati brachio obiurgatos, et magis non laudatos, quam vitipe-
ratos, sicut, qui existimant.

Act. IC b. m. 182.

Ostentationem iuridicam definio: gloriosam et circulatoriam rationem Iuris studiosorum, qua portentosam nominis artisque dignitatem, vbius gentium exhibitat tradunt.

Si ipsam Iurisperitia indolem spectes, haud difficile est cognitu, regiam disciplinam esse, et quo quis pompa celssissimique nitoris paratu affluentem. Vnde VLPIANVS 12) Est *Iurisprudentia diuinorum atque humana* rerum notitia: iusti atque iniusti scientia. Ad quam legem, quoties animum aduerto, toties memoriam subit Glossae futile commentum: 13) Nibil Theologiae Studio opus esse ad diuina nostrae religionis arcana cognoscenda, ut pote quae ex Legum Romanarum libris affatim peti queant. Quae omnia vtcunque se habeant, efficit tamen haec Iuris Consulti doctrina Stoicorum fastosis principiis innixa, aut si maius, ipsum Iurisprudentiae nostrae cum aliis litterarum vltimarumque professionum studiis amicum connubium, vt nimium quantum extra oleas vagemur, et nos saepius *Mycotexvitas* reliquorumque omnium artificum sodales, ne dicam Praesules, profiteamur. Igitur veteres in Iure Consulto desiderarunt caput ferreum, nullam aliam ob causam, quam vt molem indigestam rerum sustinere, omniscium BALDVM 14) agere, et Turbae forensi cum assidua multiformis eruditio-

comme-

12) l. 10. §. 2. π. de I. et I. l. 2. π. de LL.

13) Accursius in Glossa ad l. 10. D. de I. et I.

14) Mutuatum sumpsit hunc Titulum a Zasio Nic. Henelius de Vet. ICt. p. m. 166.

commemoratione, vacare polleat. Quod si autem ciceronem 15) eadem attingat, in haec fere verba prorum-
pit: *Praecipuum et unicum in Iusto hoc est, ut multa
auribus accipiat, multa videat, multa animo et cogi-
tatione, multa etiam legendo percurrat, neque ea, ut
fua possideat, sed ut aliena libare studeat.* Quid?
quod eo audaciae proceditur a quibusdam opinioni-
suae intemperantius fauentibus Iureperitis, ut ultra le-
gem sapere, et more Gigantum cum Diis bellare, ni-
hil dubitent. Praetermittam consulo altum interpre-
tum Iuris Iustiniane supercilium, alibi ingeniose satis et
concinne exagatum. 16) Scilicet, nonne hodiendum
fieri solet, ut aequitate cerebrina inflati, quicquid pa-
tri iuris latum est, sub censum vocemus, Iurisque Con-
ditorum, Legislatorum, Auctorum Iuris et Prudentum
splendidissima nomina tam bene et pulchre nobis conci-
liemus, ut Nomothetas Reipublicae liberae et magistra-
tus proprio iure tales, verba facere existimares? Nonne
interpretatione doctrinali iuris securi, authenticae peni-
tus obliuiscimur, quasi vero omnino non constitutio
adesset, quae ipsam Principis declarationem postularet?
Denique, nonne Iurisprudentiam legislatoriam, inadae-
quata iustitiae diuisione, iuris priuati cum publico ab-
surga mixtura, usus et obseruantiae iudicialis iniqua al-
legatione, et Doctorum maiorum gentium supra terra-
rum Numinia eleuatione peruerfa, mirum in modum in-
quieta-

15) in Libris de Oratore. I. 2. 1. A. fol. 97v. 10. 10

16) exemplo Hotomanni in Rep. I. Ctorum p. m. 114. H. 81

quietamus et deludimus? Quare istud Plautini militis 17) velim hic perpendatur Regi hunc diem mihi operam decretum est dare. Nam vero necesse est, nimium sibi tribuant, qui se nemini ciuium comparant. Transeo ad plausus aucupandi studium iuris legumque cultoris. Gloria quem supra vireis et vestit. et yngit. 18) Sicuti mimorum,agyrtarum, vnguentariorum, myropolarum, et id genus hominum mos est bene vetus, sed diu reiectus et solemniter exprobratus; ut numeroso comitatu stipati, vesteque pretiosissima amicti, in Theatra et suggestus famam immortalem suam et facinora egregia sua eaque visu mirabilia per longam titulorum et imaginum seriem ostentantes, incredibili confidentia sui prodeant, indeque loci, tanta, quantum compitum et forum est, vocis et animi contentione, coram multitudine vndique adrepente, peroren, isti, ab ore suo, manibus complicatis et suaui vultu, pendent, immitates et Diplomata sua, bombycinis, nec non auro et argento largo splendentibus inuolucris vestita, expont; atque postremo, finitis ad multam noctem scurrarum et simiarum productarum praestigiis ludisque, concionem istam suam, alga, melanorhizo, afa foetida, et tinctura laterculo coctili exsucta, misere onustam dimittant; ita, pariter in iuridicina Leguleii, Rabulae,

17) Plautus in milit. glor. A. I. Sc. L. 77.

18) Horat. L. I. Ep. 18.

bulae, Formularii, Antiquarii, legum Contortores et
Prosectoris, Praeuaricatores, Concussores aliique super-
ficiarii Iurisprudentes exsurgunt, qui supplicii quondam
ab ALEXANDRO SEVERO 19) Imperatore in VET-
RONIVM TVRINVM constituti plane immemores,
clientulis anxiis fumum vendunt, eosque variis artibus
et gesticulationibus AMMIANI MARCELLINI 20)
penicillo pergraphicce depictis, pecunia et fortuna
emungunt omni. Atqui videre videor iam aliquos ex
me curiosius sciscitantes, quo pacto istiusmodi iuris
scientiae propudia et euersores ingenium ventosissi-
mum suum declarare, in diemque proferre soleant, in
hoc potissimum incumbam, vt, perspicuitatis gratia,
vnumquemque ex iis singulatim Scenae committam.

Ordior a Leguleiis, gente subtili, disputatrice, inani-
ter operosa, peruicaci, et Herculana scabie, vt ita dicam,
perdite infecta. Huc primo loco refero peritos iuris,
qui, dum sine lege loqui erubescunt, occasione data, to-
tas phalanges et turmas earum congregant, lectorem-
que in aciem immittunt, ex qua elabi maximo nisu et
eupiditate anhelat. Neque sufficit legicrepis istis, in
scriptis cum orbe eruditio communicatis, tam effuse et
magnifice nugari; verum etiam pro Tribunal agentes,

B.

libel-

19) Lampridius in eius vit. cap.36. Nam cum comperisset im-
perator, quasi Vetricius Turinus, fumum, euentus causarum
simulate et incassum vendidisset, ausumque adeo praeuarica-
ri, illum ad palum alligari, suppositoque igni ex stipulis atque
humidis lignis fumo necari iussit, praecone acclamante. Fumo
recte perire, qui fumos vendidisset.

20) Lib. XXX. Cap. 6. et 7.

libellis et positionibus, cōntones Avariis Ider locis sehsil-
busque diuersis insunt, non aliter, ac si iudicem ius
docere decidendi rationibus instruere, conueniat.
Caeterum, quaenam grauitas et altitudo erigit prurit-
que P A L A E M O N I 21) haud absimiles magistellos, quo-
rum cura et vna cogitatio in hoc collata est, vt exesis
vetustateque inuidiosa oblitteratis codicibus et mem-
branis affixi, aetatem in syllabis conterant, fragmenta
Ante iustinianae Iurisprudentiac laboriosissime con-
quirant, in numos rubigine paene obductos arroganter
et ingeniose commententur, atque postremo ACCVR-
SIANA 22) facilitate legibus currant, eo, vt nomen
suum in scholis Critorum quotidie clare et sonore
debuccinare audiant. Traheret autem etiam istos an-
tiquitatum minutularumque peruestigationum fautores
sua voluptas, modo mores suos ad obsoleta, et pristinum
Graiorum Romanorumque statum componere, febri-
culoſius haud studerent. Ecquis cachinno non concu-
titur, si faciem huiuscmodi literatoris, vt nūnquam
vetusta exhibent, aere sculptam cognoscat? Cuinam

21) Hic arrogantia fuit tanta, vt Marcum Varronem porcum ap-
pellaret: Secum et natas et morituras literas iactitaret: No-
men suum in Bucolicis non temere positum, sed praesagiente
Virgilio fore quandoque omnium poëtarum ac poëmatum Pa-
laemonem iudicem. Gloriabatur etiam latrones quondam sibi
propter nominis celebritatem paruisse. Suetonius de claris
Grammaticis. n. 23.

22) Ita enim de Accursio scribit Guido Panzirolus de clar. leg. in-
terpr. Lib. I. c. 29. Tactabundus habitus est, quod se Accursium,
quia opportune legibus accurrerit, dictum fuisse, ambitiosius scri-
bit in l. 34. §. 8. ad SCtum Trebellianum.

ineptum et praeposterum non videbitur aliorum institutum, quo vel lampade GELIANA lucubrare, vel per Deum Fidium Iouemque tonantem iurare, vel accumbendo cibum capere, vel in atriis arma atque maiorum imagines exponere, affolent? Certe, taedet oratione longa reliqua prosequi, cum maxime, quod in aprico veriantur virisque cordatis stomachum mouent maximum. Interim, quamuis plerumque ne honestum quidem, quod est gloriosum in vulgus, videoas tamen imperitorum stuporem nulla re magis excitari, quam rixa vecordi, et habitu in aridas nulloque succo praepingues quaestiunculas inquirendi. Fac periculum, adscende cathedram, propone nullis decerpis Auctorum locis conditam Iuris meditationem, et loquere pondera mera am pullarumque expertes ratiocinationes, annon te coetus reuerebitur, tantique faciet, quanti verbosum ostentatorem, qui omisis fontibus riulos consecatur, qui non proficere, sed conspicere cupit, qui que ne transuersum vnguem quidem a sententia sua recedendum auturat. Quae, ubi tacendo praetermittere nolui, suppetunt variae adhuc artes et machinationes, quibus inclarescendi cupiditas, hominum in cortice Iuris prudentiae haerentium, plana et perspicua redditur. Namque quemadmodum vino vendibili non opus est suspensa hedera, ita se res prorsus aliter habet, cum nostris quorum characterem designandum in nos suscepimus Thrasonibus. Sciunt, setales non esse, quales mascula scientia Iuris postulat, indeque laudant Homeros dormitantes, ut ex

B (2) pergi-

pergfacti nōcumentum non afferant. Prensant com-
manipularium pectora et manus, scilicet, vt cohortem
colligant, quae ipsis praesto est, famamque quam aura
vitali studiosius captant, ad coelum vsque tollendam cu-
rat. Plagia committunt caute et circumspecte, scripta
liberaliori animo, quam modesti verecundia patitur, in
sui commendationem spargunt et euulgant, titulos li-
brorum excogitant sesquipedales et meretricio adspe-
ctu, reticent optimiae notae interpretum merita, contra,
imi subfelli editorum opellas citant et adhibent, tenebris
inuoluunt responsiones, vt oraculis sint simillimae, et, vt
breui praecidam, inanem aucupantur rumorem et
omnes ymbras etiam falsae gloriae conſtantur.

Atque hae sunt qualitates ostentationis eruditae
in genere, nunc redeamus in orbitam, et specialiora quaedam,
quantum fieri poterit, pertractemus. Veneratur ecclesia Sanctorum Martynumque exercitum in-
signem, tribuitque eis miracula et facinoratam praecla-
ra, vt nemo non in deuotam eorum admirationem ab-
ripiatur. Percurre, si volupe est, acta iure Consultorum,
et valde mirandum accidet; ex ALFENO VARO,
Sutore, Iure Consultumscientissimum et Consulem,
paucorum annorum interiallo, factum esse, CAIUM
MVCIVM 23) dextram accenso ad sacrificium foculo
intrepide iniecisse, ALCIATVM, 24) Mediolani nullo
parturientis dolore enixum esse, RAYMVNDVM TA
PENNA FORTI diuali veluti robore instinctum, scripsisse,
et TRIBONIANVM, opus desperatum, quasi per
medium

23) Luius L. II. c. 12. 24) Grauina de Orig. Iur. ciu. p. m. 91.

medium profundum euntem, adimpleuisse. Quare, si ea multaque alia Consultorum prodigiosa fata cum Iurisprudentiae notabilioribus casibus et afflictionibus conferantur, parum abest, quin volumen traditionum iuridicarum, et Iure Consultorum apotheosi conspicuum, compilare possemus.

Erit quoque operae pretium, confutare magniloquentiam, qua sapientiam ciuilem mercede non locandam et de honestandam esse, strenue asseritur. ^{VLPIANI} sententia NICOLAVS HENELIUS, 25) quem tamen, rem acu minus tetigisse, quilibet largitur, Patronatus Iurium gnarus. Caeu autem existimes, gratis vñquam in Vrbe cauſas peroratas fuisse, quandoquidem clientibus incumbebat, Patronos pecunia iuuare, tum ad elocandam filiam, filiumque captiuum redimendum, tum ad aes alienum luendum, vel ad mulieram soluendam. Rectius errorem acceptum referimus Philosophis quibusdam, quorum de artibus liberalibus et ingenuis dogmata, abunde constant. Ergo pudeat ICtum, tale quid cum irrisione audientium garrire, quod nec decoro repugnat, nec vitae ratio permittit. Tandem militiae togatae gloriationem considerabimus. De ludit eam CICERO PRO MVR AENA per quam festiue, Seruus hic, inquiens, nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, canendi, plenam sollicitudinis et stomachi, securus est, ius ciuile didicit, multum laborauit, praefto multis fuit. Ac quamquam probe tenemus illud IV STINIANI: imperatoriam maiestate non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, neque famosam legem 14.C.de Adu.diu.Iud. ignoramus, tantum vero abest, ut STRYCKIIS et SCHVLTINGIIS assentiamur, ut potius praeter Praenobilissimi IENICHI 26) explicationem, quam neu-

B 3 tiquam

25) de Veter. ICtis p. m. 123.

26) Hic in diff. de spuriis Aduocatorum Priuilegiis §. IV. Nugas agunt, qui ex illa militum Aduocatorumque, quam Leo et An-

tiquam explodimus, statuamus: Imperatores non de priuilegiis
militaribus in causarum Patronos transferendis verba facere, sed
de honore et munere Aduocatorum aequae utili et honesto ac
militum.

Hactenus exposuimus ostentationem Iurisperitorum, qui,
legum cognitione nuda contenti, applicationem earum pruden-
tem ad facta negligunt. Exigit idcirco ordo, vt ad eum quoque
deueniamus numerum.

Quo multae magna que secantur iudice lites:

Quo responsore, et quo cause teste tenentur. 27) Et nichil
Offert se autem primum omnium vitium Pragmaticis visitatissi-
mum, quo, ad perpetuam Processualium enarrationem rapiuntur,
adeo, vt si Titios et Caios, quos alieno prorsus loco eloquun-
tur, computare velles, myriades clientum, quibus consilium et
adiumentum praestiterunt, enumerandae essent. Sunt ipsis mille
Prae iudicia in promptu, Argum oculum cautelis circumue-
niunt, stylum curiae, vt cantu culam recitant, citant in discursu
partes, audiunt, excipiunt, interloquuntur, probant et reprobant,
leuterant, disputant, appellant, definiti uam pronunciant. Bene et
sapienter 28) IV VENALIS

Et tamen hoc ipsis est utile, purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina, conuenit illis
Et strepitu, et facie maioris viuere census.
Etenim, ita est, vt, nisi ad forum apportaueris frontem duram ani-
mumque ingenii fiducia turgidum, plerumque humiliis et ma-
cer abiuferis. Ait apud TERENTIVM auctor: *Nam in me pla-*
Dii potestatem suam ostendere, cui tam subito tot congruerint com-
moda. Nec est dubium, quin eadem fortuna exspectet causarum
oratores, qui versutia et grandisona eloquentia tineti, fores diui-

timi instituunt, comparatione, causarum Patronis Priuilegia
militum tribuunt. Neque enim vnuquam haec in mentem ve-
nisse Imperatoribus vlla veri specie probari potest. Figurata
oratione in vniuersa hac lege vntuntur.

27) Horat. Lib. I. Ep. 16.

28) Sat. VII.

tum obſident; palmam litigatoriſbus pollicentur; moras ſolutio-
num opportunas neantur; traſactiones perſuadione et infidiis
celebrant; et omnem denique induſtriam in hoc collocant, vt
mira et ſtupenda, et a publico rerum curſu aliena inſectentur.
Seſilicet iis iuriſprudentia ager fertiliſ ſit, neceſſe eſt, qui tam
laetam mellem aliquando porrigit, ut cum BALDO, ex ſolo ſubſtitu-
tionum agro et fundo bene culto XVcl. aureorum ſe re-
fecife, gloriari queant.

Praeterea ſordet iſtis puris putis Praetorii, affiduis vigiliis
paranda et cum tenuiculo lucre coniuncta elegantior Iuriſpru-
dentia. Tum renuntiant repudium humanioribus literis, et,
graue eſt dicere, ipſi Corpori iuriſ, vbi obſeruantias, uſus, et Bro-
cardica iudicialia deuorarunt. Valeatis, clamitant, cum perna et
baculo uero remque uestrā uobis habeatis, o egregii et opti-
mi apicum iuriſ ſcrutatores, per nos concilietis leges, interprete-
mini duodecimi Tabulas, et definitiones diuisionesque inueniatis
profundiffimās, interea negotia et poſtulationes procurabimus
naeniiſ uestrīs et gerris multo ſucculentiores ac quaefuſiores.
Inſit, CICERO procul dubio eiusmodi dietiſ laceſſitus: *Itaque, ſi
mibi homini vehementer occupato, ſtomachum moueritis, triduo, me
Iuriſ Consultum eſſe profitebor.* Quod quidem ideo hic occino, quo
innotescat, humeros, ſolida Iuriſ Theoria imbuti, ita comparatos
eſſe, ut per breui temporis ſpatio interieſto, iudiciaiae Iuriſpru-
dentiae onus uafinere valeant.

Quae ſupersunt ostentationis Aduocatorum exempla, ſtri-
ctim et per transennam indicabimus. Dantur, qui ex lite litem ſe-
rere cauſas per luſtra protrahere, Dicasteria interrogationibus et
poſitionibus captioſis confundere, aduersarium ſcomiſatibus et
ſannis adoriri, atque ſanctissimarum conſtitutionum ſenſum iniu-
ſtitiae ſuae aptum reddere, gloriae loco ponunt. Quoquouerſum
oculos dirigis, incurrent Praeuariſatores, qui ex ſpoliis ciuium
magnoſ et ſtatuoſ redituſ coaceruaffe in ſinu gaudent, conuicſoſ
qui animae dotes et aſtum in condendiſ nouis terriculamento-
rum generibuſ ſuſpiciunt, et aſſentatores, quoruſ interest, inimi-
cos



cos speciosa et argumentis nitidis composita ad contendendum
adhortatione excitare. Plura non addam, quod
Caetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem.
Delassare valent Fabium
Adhuc paucis vos volo, AMICI DESIDERATISSIMI, qui
ansam praebuistis, cogitationem in tabulas conicere, quam diu
intra me continui. Igitur, ne rapiatis in malam partem, quas
vobis sacras esse cupio pagellas. Sed date virtutis amori, si
paulo liberius aestuosiusque aduersus vitium declamauerim,
quod luris prudentiam nostram maculat et deturpat. Scio
equidem ipsis legibus 29) commendationem aliquam sui indul-
tanti esse, nec non, quam iustum sit sobrie prosequi amplifi-
cationem et laudem suam, intelligo. Quod si autem quis sibi
persuadeat, haec a me ex affectu et maledicendi cupiditate exar-
ata esse, aliud nunc publice testor conscientia propositi et in-
tentionis simplicis fretus. Docet VOS VESTRA, qua omnia
ponderare soletis, perspicientia, quam arduum sit prauos fae-
culi mores carpere, et tamen iubent officia, quibus deuincimur,
ut palam reprehendantur. Quin, ob eam quam praeuidi tan-
quam ex specula difficultatem, accidisse, ingenue fateor, ut et
verba, quemadmodum nostri loqui amant, in factum tempera-
uerim, et multa, quae experientia quotidiana subministrat, omi-
serim. Verum, gratulor mihi impense, qui copiam nactus sum,
tesseram amicitiae nostrae tenerrimae, quam ad cineres usque
seruatam valde aueo, edendi. Macte, adscendite felicissimo
gressu ad Doctoris gradum, quem eruditione VESTRA ce-
lebratissima VOBIS comparauistis, quem praefstantia VE-
STRA ornabitis, quemque in Reipublicae emolumentum, in
Literarum augmentum, et in familiarum splendidissimarum
florem perpetuum, occupauistis. Denique, si quid erit, quo
propensionem erga VOS meam et in posterum declarare
possum, imperate amico, de quo statuatis velim, eum esse, qui
ob incolumentem et salutem VESTRAM, aetatem
29) l. 4 §. 3. D. de Offic. Proc.



(X2373686)

Ka 6229





EXERCITATIO
DE
OSTENTATIONE IVRIDICA 180
VIRIS
PRAENOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMIS
AMPLISSIMIS
DN. M. QVIRINO GOTTFRIED
SCHACHERO
NEC NON
DN. M. GOTTFRIED LEONARD
BAVDISIO
SVMMOS IN IVRE HONORES LIPSIAE
CAPESSENTIBVS
GVM PIO ET SANGTO VOTO
OBLATA
Koc 6229
A
IOANNE LVDOVICO LANGGVTH
IVR. VTR. DOCT.

D. IX. MAI M DCC XXXVII.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.